DE

MYRINGITIDE CHRONICA
QUAEDAM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA UNIVERSITATE LITERARIA
GRYPHICA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICIA
HONORIBUS
RITE IMPETRANDIS
DIE XXV. MENS. MARTII ANNI MDCCCXLIX
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

CAROL. GUILELM. THEOD. HASSE,
POMERANUS.

OPPONENTIBUS:
AUG. FELSMANM, MED. ET CHIR. DRD.
ROB. JAENISCH, MED. ET CHIR. CAND.
PAUL BRETTNER, MED. ET CHIR. CAND.

GRYPHIAE.
TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.
MDCCCXLIX.

AMICO PATERNO

OPTIMO DILECTISSIMO

STEPHANO DE DEWITZ

DOMINO DE FARBEZIN

HOC PIETATIS SPECIMEN

OFFERT

AUCTOR.

Literatura.

Celsus, Medicina lib. VI. cap. 7.

Galenus, Opera omnia edit. Kühn tom. XII.

H. Mercurialis, de oculorum et aurium affectibus praelectiones 1591.

Fabricius Hildanus, opera omnia 1646.

Du Vernay, traité de l'organe de l'ouïe, contenant la structure, l'usage et les maladies de toutes les parties de l'oreille 1683.

Ant. Maria Valsalva, tractatus de aure humana, 1717.

Fr. Hoffmann, medicinae rationalis systematicae Tom. IV. Halae 1732 — 37.

Schweter, dissertatio de auditu difficili, Halae 1741.

Lentin, tentamen vitiis auditus medendi — in: Beiträge zur ausübenden Arzneiwissenschaft, 1793. II. p. 79.

Wildberg, Versuch einer anatomisch-physiologisch-pathologischen Abhandlung über die Gehörwerkzeuge des Menschen. 1795.

Astley Cooper, philos. transact. 1800. p. 151, p. 435.

Himly, comment. Götting. Vol. 16.

Itard, traité des maladies de l'oreille et de l'audition vol. II.

Délau, tableau des maladies, qui engendrent la sur
Comercy 1820.

Rauch, vermischte Abhandlungen aus dem Gebiete
Heilkunde, von einer Gesellschaft Petersbu
Aerzte. 1. Sammlung, 1821.

Van Hooven, dissertatio pathologica de morbis au
auditusque. 1824.

Beck, Krankheiten des Gehörganges. 1827.

Curtis, A treatise on the physiology and disease
the ear. 1827.

Th. Buchanan, physiolog. illustrations of the o
of hearing cet. 1828.

Wright, on the varieties of deafness and disease
the ear. 1829.

W. Kramer, die Erkenntniss und Heilung der
renkrankheiten. Berlin 1836.

G. Lincke, das Gehörorgan in anatomischer, phys
gischer und pathologisch-anatomischer Hins
Leipzig 1837—1840.

Sammlung auserlesener Abhandlungen und Beobach
gen aus dem Gebiete der Ohrenheilkunde; her
gegeben von G. Lincke. Leipzig.

F. Polansky, Grundriss zu einer Lehre von den
renkrankheiten. Wien 1842.

George Pilcher, on the structure, economy and
eases of the ear, London 1842.

Gustav von Gaal, die Krankheiten des Ohres
deren Behandlung. Wien 1844.

Martell Frank, praktische Anleitung zur Erkenn
und Behandlung der Ohrenkrankheiten. Erla
1845.

Eduard Schmalz, Erfahrungen über die Krankh
des Gehörs und ihre Heilung. Leipzig 1846.

De anatomia membranae tympani quaedam.

Membrana tympani, operimentum auris, septum membranaceum, meninx, myrinx; le tympan de l'oreille; the drum of the ear; het trommelvlies, oorvliesje, jam nota Hippocrati[1]), Aristoteli[2]), Galeno[3]); sed primum accuratius descripta a Berengario de Carpi[4]) et ab Achillini[5]), disjungit a cavitate tympani meatum auditorium externum, cui plerumque adnumeratur, excepto malleo huic adnato ceterisque ossiculis auditus, quae, quamquam in embryo arctissime cum membrana tympani conjuncta eadem regione oriuntur, ad cavitatem tympani accensentur, quum tunica mucosa cavitatis tympani obtegantur.

Membrana tympani in fine interno meatus auditorii externi extenditur directione congruente interi-

---

1) Magni Hippocratis opera omnia, edit. Kühn. Lips. 1825. Tom. I. De carnibus; pag. 436: *τὸ δίρμα τὸ πρὸς τῇ ἀκοῇ πρὸς τῷ ὀστέῳ τῷ σκληρῷ λεπτόν ἐστιν, ὥσπερ ἀράχνιον, ξηρότατον τοῦ ἄλλου δέρματος.*

2) De anima Lib. II. cap. viii.

3) Opera. edit. Kühn. Vol. III. De usu partium, Lib. viii, cap. VI. pag. 637.

4) Isagoge in anatom. corp. hum. cap. 54. Bonon. 1523. — Comment. supra anatom. Mundin. Bonon. 1571.

5) Annotationes anatomicae Bonon. 1520. pag. 15.

ori parti meatus auditorii, cujus paries anterior et i
rior multum est longior, posteriore et inferiore, ita
membranae tympani in adultis dupliciter obliqua
inclinatio. Et jam Valsalva[6]) demonstravit, memb
nam tympani cum superiore et posteriore pariete m
tus auditorii externi obtusum, cum inferiore et a
riore acutum angulum formare.

Forma membranae tympani in foetu et nec
tis subrotunda, in adultis plus minus elliptica.
cundum Everard Home[7]) longior a superiore
inferiorem partem diametrus $^8/_{20}$″, brevior autem
anteriore ad posteriorem partem vergens diamet
$^7/_{20}$″ explet. Sed haec differentia non satis accu
constituta est, quum plerumque differentiam un
lineae inveniamus. Lincke distinguit quattuor
metros: maximae ab anteriore et inferiore ad po
riorem et superiorem $4^1/_2 - 4^3/_4$; secundae a sup
ore ad inferiorem $4^1/_4$; tertiae a posteriore et in
riore ad anteriorem et superiorem 4, minimae
anteriore ad posteriorem partem vergenti $3^1/_4$ –
lineas Parisinas attribuens.

Membrana tympani non est omnino plana, qu
nobis in externa parte fovea et protuberantia ap
reat. Manubrium mallei mediam membranae ty
pani partem contrahit versus cavitatem tymp
quare infundibuliformis fovea oritur, cui similis p
tuberantia in interna parte eadem causa conforma

---

6) L. l. cap. II, §. 1: pag. 17.
7) v. Gilbert's Annalen Bd 44. Seite 366.

Processus obtusus mallei, cujus acumen ad superiorem et anteriorem partem membranae tympani porrigitur, protrudit protuberantiam internam in externam membranae tympani partem; protuberantia hoc modo conformata umbo nominatur. Color ex subrubro albicans, nitor similis matrici margaritarum; pelluciditas quaedam membranae tympani observata est.

Multifariam disputatum est, utrum in sana membrana tympani inveniatur hiatus, qui meatum auditorium externum conjungat cum cavitate tympani, an non. Jam Aristoteles negabat, capreas auribus recipere auram. Imprimis Rivinus sub finem septimi decimi aevi accurate descripsit aperturam membranae tympani instructam sphinctere vel valvula quadam. Perhibet, hanc aperturam semper adesse ad posterius latus mallei prope capitulum infra tensorem tympani seu musculum mallei internum. Alii ex quibus solum Cheselden [8]) et Munniks [9]) nominentur ei assentiunt, alii, inter quos praesertim Ruysch [10]), Haller [11]), Pauli [12]) dissentiunt. Recentiore tempore denuo disputatum est hac de re: in-

---

8) The anatomy of human body. London 1702. Lib. IV. cap. 4.

9) De re anatomica liber. Ultraj. 1697.

10) Epistol. anatom. problemat. Amstelod. 1718.

11) Elementa physiol. Vol. V. lib. XV.

12) Vid. W. van Horne microcosmus s. manuductio ad histor. corp. human. Cum notis s. Wilh. Pauli. Lips. 1707. praefacio.

primis Wittmann et Vest[13]) demonstrare sibi proposuerant, adesse aperturam; praesertim Vest illum hiatum Rivianum copiose et accurate describit parvum canalem, qui in externa membranae tympani parte proxime supra umbonem originem suam habeat sub forma aperturae ovalis, per lamellas membranae tympani directione obliqua versus inferiores et anteriores partes penetret, tum demum in cavitatem tympani exeat infra mediam tympani membranam. Huschke[14]), hiatum Rivianum artissime cum interrupto annulo tympani cohaerere censet et ex formatione foetus remansisse. Sed viri, quorum summa est auctoritas, e. g. Cloquet, Meckel, Rudolphi, Weber, alii negant tympani membranam ullam prorsus in statu salvo aperturam habere; ubi autem ejusmodi apertura reperta sit, ex processu pathologico ortam esse.

Membrana tympani, quod ad structuram pluribus telis formatur.

Anatomici veteres, qui eam paullo accuratius describunt, e. g. Casserius, Laurent, opinantur eam ex una tantum tela constare, quae aut pericranii aut meningis durae sit continuatio. Alii anatomici docent, illam duabus formari membranis[15]), quarum externa cutis sit ea, quae meatum auditorium

---

13) medicin. Jahrbücher des östereich. Staats. Bd. IV. Wien 1819.

14) Beiträge zur Physiologie und Naturgeschichte Bd. I. Weimar 1824.

15) Valsalva L. c. Cap. II. § 1. pag. 18.

externum vestiat, interna vero aut pars sit durae meningis aut periostei; alii ex tribus membranis illam componi; alii vel quattuor membranas[16]) sese in ea observasse contendunt. Haece sunt:

1. Epidermis, 2. tunica propria, 3. periosteum meatus auditorii ossei, 4. tunica mucosa cavitatis tympani. Alii vero dicunt, utramque membranam mediam nihil esse, nisi duplicaturam periostei cavitatis tympani et meatus auditorii externi ossei, et externam esse epidermidem meatus auditorii externi. Alii etiam alias sententias protulerunt.

Consentimus cum iis anatomicis necentioris temporis, qui nos docuerunt, tribus telis conjunctis membranam tympani conformari:

a. tunica externa,
b. tunica media vel propria,
c. tunica interna.

Tunica externa continuatio partis posterioris epidermidis meatus auditorii externi composita est ex cellulis, quorum nuclei sunt minores, quam opinareris; itaque fieri non potest, quin membrana tympani fibris periostei conformetur. Glandulae in ea nobis non occurrunt. — Tunica media vel propria in foetu cum fibris vicinis cohaerens texturam fibrocellulosam ex nucleis et cellulis ortam ostendit, quarum nucleos vel in adultis conspicere licet, atque

16) Haller, elementa physiologica T. V. lib. XV. sect. I, § 11. Autenrieth, Handbuch der empirisch. menschl. Physiologie; Tübingen 1801. Th. III. § 1015. S. 233. Winslow, Expos. anat. Tome IV, part. II, § 394.

in initio caret annulo ligamentoso tympani (de quo cf. infra). Quae quidem membrana propria constat ex fibris fibrosis, quae solum modo aggregationis a fibris tendinosis distingui possunt ab anatomicis. Occurrunt nobis in ea auctore Pappenheim[17]).

1. fibrae validae ex periosteo meatus auditorii externi oblique a parte inferiore ad superiorem ad membranam tympani et in membrana ipsa circiter $^{1}/_{4}'''$ decurrentes, quae aut cum fibris ipsius membranae conjunguntur aut per se propriam membranam formant.

2. fibrae ex periosteo cavitatis tympani, de quibus nihil dicendum est, nisi quod modo diximus ad 1.

3. fibrae propriae, quae in peripheria transeunt in annulum, qui dicitur ligamentosus, et ex fasciculis fibrarum validarum atque latarum compositae sunt. Hi fasciculi variis directionibus decurrunt:

a. concentricae fibrae, praecipue in peripheria densae centrum versus majora spatia ostendunt et haud procul a manubrio mallei plane desinunt.

b. centrifugales ab utroque latere venientes et angulis acutis sese invicem secantes, simul manubrium mallei transgrediuntur.

Tunica interna, tunica quae dicitur mucosa, est continuatio epithelii cavitatis tympani et manubrium mallei transcedit.

Sed jam satis de membranis ipsis, restat nobis annulus ligamentosus. Qui sulco tympani tam arcte

---

17) Die specielle Gewebelehre des Gehörorgans pag. 29. Breslau 1840.

inhaeret, ut ne maceratione quidem per longum tempus adhibita ab eo separari queat. Affigitur annulus ipse ab utroque latere et fibris periostei, et fibris membranae tympani, quae in eo fasciculatim appositae atque in sulco utrinque exeunt, et fibris propriis tenuissimis, quae in eo ad utrumque latus sulci decurrentes inveniuntur et auctore Pappenheim vasis sanguiferis subtilissimis ad membranam tympani per aperturam ampullae osseae accedentibus nascuntur.

Arteriae autem membranae tympani haece sunt: arteria tympanica superior, ex arteria stylomastoidea orta, et arteria tympanica inferior, ramus aut arteriae temporalis aut arteriae maxillaris internae, decurrit ex fissura Glaseri ad cavitatem tympani et cum arteria tympanica superiore rete vasorum densum format, cujus centrum secundum Lincke non in media, sed magis in inferiore atque anteriore parte membranae tympani, ubi inhaeret extremitas manubrii mallei, positum est.

Nervus tympani, ramus nervi auricularis anterioris, exornat membranam tympani ramulis, intrans per fissuram, quae in pariete superiore meatus auditorii externi sita est, decurrit inter periosteum et membranam meatus auditorii internam ad superiorem partem sulci tympani, et dimittit post caput mallei ramulum ad membranam tympani, qui intra tunicas tenuissimis fibris ramificatur. Alter ramulus conjungitur uno vel duobus filis aut ante aut post caput mallei decurrentibus cum chorda tympani (ex nervo

faciali), quae obliqua directione a posteriore ad anteriorem membranae tympani partem descendens transversalem membranae diametrum non tangit.

Itaque membrana tympani integram membranam elasticam format, extensam inter meatum auditorium externum et cavitatem tympani.

Quapropter utilitas membranae tympani in eo posita est, ut res obnoxias a subtilioribus organis cavitatis tympani et meatus auditorii interni prohibeat, quod omnes concedunt; sicuti teneri pili et cerumen aurium meatum auditorium externum, ita membrana tympani cavitatem tympani a pulvere, aqua, insectis, vi aurae frigidae atque acris cet. tuetur, quare aegroti, quos membrana tympani omnino defecerit, saepissime inflammationibus afficiuntur, et tutamentis mechanicis meatus aüditorii utantur opus est; et utilitas membranae tympani in eo posita est, ut vibrationes sonitus membranam afficientes moderetur. Quae res tametsi non ab omnibus probatur, tamen a plurimis defenditur atque retinetur. Facultas audiendi, ut experientia docet, etiamsi membrana tympani omnino deleta sit, tamen adesse potest; sed variis impetibus exposita semper debilior, quam antea. Quum quidam autores narrent, auditum membrana tympani violata integrum semper remansisse, aut ipsi in errore versantur, aut auditum non plane exstinctum esse contendunt, nulla, quod maximi momenti est, ratione habita, utrum normalis audiendi facultas debilitata sit, an non.

De perscrutanda membrana tympani aegrota in universum.

Quum membranae tympani situs abditus sit, et haud facile oculis symptomata morbi inspici possint, ad nostram usque aetatem opiniones diversissimae et absurdissimae de morbis hujus membranae sunt divulgatae. Loquebantur de relaxatione membranae tympani, quae sonitu violento tolleretur; de ruptione tensoris tympani sternutamento vehemente evocata, quare membrana tympani propelleretur; immo tonitru ingenti cet. membranam tympani interne convexam, externe fieri concavam, nescientes, hanc formam membranae tympani esse regularem. Sed haec hactenus.

Est autem perscrutatio membranae tympani, septi membranacei inter meatum auditorium externum et cavitatem tympani, maximi momenti, quum dignoscimus morbos auris; necesse est noscas statum normalem: formas, inclinationem, cavitatem, colorem ejusque crassitudinem diliglenter respicias. Morbi membranae tympani tam diu cognitu difficiles erant, quam instrumentum illud praestans, dico speculum auris, non ab omnibus in usum vocabatur. Cujus instrumenti usus jam vetus est, et verisimile est, Petrum de la Cerlata [18]) primum speculum adhibuisse. Dicit enim: „Si autem fuerit (sc. surditas) a verruca aut a re aliqua ingressa, scitur per pa-

18) Chirurgia lib. V., tract. IX., cap. 9.

tientem et per inspectionem ad solem trahendo aurem et ampliando cum speculo aut alio instrumento."

Fabricius ab Hilden[19]) et Conradus ab Solingen[20]) primi ejus imagines ediderunt. Postea non saepe speculum in usum vocatum esse videtur, quum scriptores rarissime et quasi praetereuntes hoc instrumentum commemorent. Recentissimo demum tempore medici satis intellexerunt, speculum esse necessarium ad cognoscendos auris morbos, et tantum frequentissimo usu speculi certam diagnosin hoc in morborum genere fieri posse. Varia sunt speculorum genera; utimur in clinico nostro simplici tubulo, qui quum omnino sufficiat, praeferendus est, propterea quod semper eum nobiscum possumus portare.

Praeterea ad inspiciendam menbranam tympani claro solis lumine bene directo opus est, quo deficiente face utaris. Sed inventa sunt multa instrumenta, quibus membrana tympani lumine lustrari potest.

Specillum modo, quum speculo membranam perscrutatus es, et tum quidem caute adhibeas. Si corpora aliena, cerumen cet. in meatu auditorii inveniuntur, prius removenda sunt, quod aqua tepida injecta apte efficies.

---

19) Opera, quae exstant omnia. Francof. 1646. Cent. I. Observ. 6, pag. 18.

20) Handgriffe der Wundarznei. Wittenberg 1712. S. 155. Taf. III. Fig. 7.

De inflammatione membranae tympani ipsa.

Quum inflammatio membranae tympani chronica saepe ex acuta exoriatur, quod quidem saepissime a nobis non observari potest, brevi describam inflammationem acutam.

Aegrotus subito plus nunus vehementibus doloribus vexatur, qui in intimo meatu auditorio sedem habent saepeque ad partes remotiores praecipue collum procedunt. Ad quos dolores accedunt susurrus aurium, plus minus vehemens affectio auditus et irritata sensibilitas, e. g. quasi insectum in aure volitet.

Si tantum tunica externa membranae tympani affecta est, in ea ruborem aequaliter effusum animadvertes, initio subcaeruleum qui procedente inflammatione ex rubro subniger fit et ex rete vasorum multis ramificationibus praedito compositus est. In utroque insertionis puncti latere manubrii mallei singula vasa perspicue injecta inveniuntur; ipsum autem mallei manubrium, specie mutata, non stria alba vel flava apparet. Aegrotus queritur de dolore vel pruriente vel tendente, qui fortiore auriculae attractione, sternutatione, tussi cet. paululum quidem, minime autem commotione musculorum manducatoriorum augetur. Sed si ipsa tunica membranae tympani propria afficiatur, membrana apparet etiam rubefacta: in casibus vero levioris momenti inprimis in utraque parte manubrii mallei inveniuntur vasa multa atque sanguine injecta, quae inde

ad membranae peripheriam permulta atque tenerrim vasa emittunt. Manubrium mallei distincte in con spectum venit, vel etiam illo injectionis vasoru modo etiam clarius apparet. Simulatque inflam matio ad altiorem gradum pervenit, vasa sunt copios atque magis impleta; membrana tympani autem co loris ex rubro subnigri est et adeo intumescit, illa, quae adfuerunt, protuberantia atque fovea exa quentur; manubrium quoque mallei nullo modo di tingui potest. Hoc in casu dolor vel tendens v pungens, vel urens atque saepe tam acutus est, aegrotus dormire omnino nequeat. Auditus vale est imminutus atque strepitui cuique obnoxius; tin tus aurium fortior, secretio ceruminis autem su pressa est.

In levioribus inflammationibus febris plerumq nulla adest, atque morbus, si aegrotus res nocent cavet, saepe paucis diebus post evanescit. Si a tem inflammatio augetur, acerrima fit febris, qu imprimis sub vesperum exacerbatur et matutino ter pore, sudore multo, remittitur.

Inflammatio acuta resolvi potest, quod si acc dit, rubor, tumor, dolores remittuntur, membra tympani sensim sensimque ad normam reducit Nihilominus hic status plus minus ad organica commutationem efficiendam inclinat; saepissime a tem inflammatio ex acuta fit chronica.

Tum symptomata acutae inflammationis desinun febris finita est, dolores raro sentiuntur, interdu

multo mitiore gradu redeuntes per annos complures remanere possunt; facultas audiendi debilior evadit.

Inflammatio vero chronica etiam sua sponte existere potest, acuta inflammatione non praeeunte. Morbi autem initium raro a medico observatur, quod aegroti, quum doloribus non crucientur, in primo morbi stadio vix unquam medicum consultant. Chronica inflammatio aut omnino sine dolore est aut cum prurigine aut cum mitius tendente dolore, qui saepe usque ad verticem procedit.

Membranae ipsius tympani modo pars tantum, modo tota membrana injectis vasis imbuta invenitur, quibus membrana colore rubro induitur, ita ut omnes rubefiendi gradus discerni possint. Imprimis autem vasa secundum manubrii mallei insertionem ut fasces quasi ex funiculis compositi cumulata sunt, ex quibus subtiliora atque subtiliora vasa exeuntia totam tympani membranam tegunt, ita ut membrana saepe fusca appareat. Simul textura plus minus commutata est: membrana txmpani fit nubila turbida crassior, vel cartilaginosa, torpida, imprimis, si praecipue tunica externa affecta est, ita relaxata et convoluta, ut neque fovea neque protuberantia ullo modo in conspectum veniat. Praeterea saepius minores vel majores subrotundae excrescentiae aut subalbidae, cartilaginosae, torpidae, aut rubrae, sanguineae sensibilesque cernuntur, quae modo sparsae aut in medio aut in margine membranae inveniuntur, modo totam superficiem obtegunt.

Experientia docet, saepius ex inflammation polypos plerumque brevi pediculo instructos exori

Si inflammatio vehemens per longum tempu duravit, praesertim foramina, aut unum aut plura i membrana tympani conspiciuntur, quae plerumqu ante manubrium mallei, rarius post manubrium i veniuntur. Foramina ipsa quod attinet ad magnitu nem inter se differunt, a magnitudine acuminis ac usque ad pisi ambitum progredientia atque etiam i terdum duo trientes deleti sunt, ut tympani cavit tem introspicere liceat.

Quae texturae degenerationes perpetuo cu perversa secretione sunt conjunctae, cujus et qua titas et qualitas varia esse potest. Quae secret aut larga est atque profusa Otorrhoea, aut ita parc ut saepe, medico non satis accurate perscrutant omittatur; tali in casu membrana tympani et pari tes meatus auditorii fusca crusta obtecta sunt. Qu ad qualitatem, secretum modo liquidum pellucidu mucosum, inodorum, lene, modo densum, turbidu purulentum, prasinum, cum sanguineis striis mixtu brunneum, saepe foetens, ammoniacalicum atq acerbitate tunicam corrodens.

Praeterea durante malo cerumen nullum sece nitur.

Dolores, qui ex myringitide chronica nascuntu plerumque minimi sunt, et ab aegroto nihili aestima tur; augentur quidem paullulum inflammatione cre cente, neque tamen unquam talem prae se ferunt veh mentiam atque intensitatem, qualem inflammatio acu

Facile est intellectu, in morbo, de quo sermo est, audiendi facultatem minutam esse, cujus vero symptomatis gradus ad cognoscendam commutationem anatomico-pathologicam, quae in ipsa membrana tympani exstat, nil prodest. Interdum enim si membrana tympani laesa audiendi facultas paululum, si integra est, magnopere deminuta est; quippe quum non ex sola membrana tympani pendeat auditus, sed etiam cavitas tympani hac in re magni sit momenti. Inde fit ut audiendi facultatem nihili fere minuatur in laesione tympani, si quidem ejus pars reliqua et cavitas tympani sana vit.

Praeterea interdum pus in meatu auditorio aggregatum impedit auditum, quo in casu pus auferri debet. Denique inter myringitidis chronicae symptomata susurrus aurium numerandus; haud raro deest, praecipue ubi membrana tympani perforata exstat.

Diagnosis.

Ad diagnosin constituendam nil prodest, nisi exploratio accurata. Aure injectionibus aquae tepidae accurrate purgata, membranam tympani diligentissime speculo adhibito perscrutari debet medicus. Si membranae ejusque excrescentiarum sensibilitatem cognoscere vis, specillum caute adhibere licet. Ut supra commemoravimus interdum perforationes membranae tympani minores sunt, quam quae visu cognosci possint. Quod quum ita sit, aegrotus clausis et ore et naso aërem in aurem

compellere jubeatur, tum si adest perforatio aëri effluxus et ab ipso aegroto sentitur et a medic auditur. Idemque experimentum si mavis, aëre pe catheterem in tubam Enstachii inductum inspirand perficere potes.

A e t i o l o g i a.

Myringitis saepius invenitur, quam vulgo puta tur. Plerumque vero tam parvas secum fert moles tias, ut ne quaerant quidem aegroti auxilium medic

Apud viros saepius occurrere videtur, quai apud feminas, fortasse quia feminarum et vita agendae modus et capitis velandi mos tempestate et res noxias ab aure arcent.

Praeterea quae in juventute in universum ades conjestio sanguinis ad caput etiam ad membrana tympani inflammationes proclivos reddit juvenes.

Ex societatis humanae ordinibus ad myringit dem dispositio praecipua reperitur apud omne quorum negotia cum sonis vehementissimis conjunc sunt, igitur apud fabros cet.

Frequentius morbus, de quo loquimur, obviu nobis est in regionibus septentrionalibus quam australibus, frequentissime vero in littore maritimo inde fit, ut nusquam terrarum saepius myringitid laborent homines, quam in Anglia, tempestate hu mida et nebulosa.

Inter caussas occasionales inflammationis huju primo loco refrigeratio nominanda est. Itaque cr bro corripit homines, qui caput fervidum laveru

qui tempestate frigida humidaque capillos desecuerunt, qui saepius perflanti aëri expositi sunt, qui pedes sudantes refrigerarunt, qui domicilio humido utuntur.

Tum myringitidem gignunt concussiones membranae tympani ex sonis vehementissimis nascentes; vulnera, corpora aliena atque res acres, quae per meatum auditorium intraverunt.

Kramer[21]), cerumen induratum nunquam caussam occasionalem myringitidis esse contendit, etsi per complures annos in meatu auditorio perduraverit. At Lincke[22]) et Martell Frank[23]) dissentiunt, quorum prior plurimas inflammationes ex hac occasionali caussa provocatas sibi obvenisse affirmat.

Frequentissime vero myringitis ex aliis morbis originem ducit; praesertim ex scrophulosi; catarrho, rheumatismo, arthritide; tum praecipue ex scarlatina; ex morbillis, variolis, erysipelate, lichene, impetigine capitis.

Saepius autem de inflammationis hujus origine et caussis omnino nil indagere potes.

Prognosis.

Prognosis fere semper mala, quippe quum aegroti auxilium medici non prius petere soleant, quam quum malum inveteratum nullo modo exstingui possit.

---

21) L. c. pag. 197.
22) L. c. pag. 267.
23) L. c. pag. 319.

In principio quidem fore ut morbus sanetur lice sperare; verum ubi per annos invaluit, etiamsi omni inflammatio feliciter removeatur, durities membranae tympani remanet, ut auditus plus minus graviter ob tundatur.

Ubi vero membrana tympani perforata est in rem ipsam agere nihil prodest; prognosis e ma jore vel minore copia amissae substantiae pende Polypi semper periculum adducunt, cum quia seme cultro remoti denuo solent emergere, tum quia etiam si non redierunt, structura membranae tym pani eum in modum immutatur, ut undulationes acus ticae quominus in aurem interiorem perveniant, im pediantur.

Ceterum prognosin prorsus infelicem totius-mem branae tympani durities exhibet.

C u r a t i o.

Inprimis caussae quae forte adsunt occasionale removendae sunt. Praesertim auriscalpium, quo aegroti in aurem ingerere solent, ut pruriginem in flammatoriam radendo depellant, removeas. Ind enim perpetua irritatione inflammationem augeri fa cile intelligitur.

Praeterea in exanthemata, veluti scarlatinam morbillos cet., fortasse repulsa erit inquirendum.

Si dyscrasiae occurrunt, cosentaneum est, cu ratione uti generali.

Jam quod attinet ad rationem tractandae ipsiu

inflammationis, si forte adest irritatio, methodum antiphlogisticam adhibebis. Interdum jube hirudines circa aurem apponi. — Kramer quidem minime efficaces hirudines affirmat, at alii, Schmalz. M. Frank, nobis commendant; et nos in clinico nostro hirudines hoc in casu adhibuimus felici eventu — cuti applica fortiter derivantia, aut vesicatoriis aut infricto ungento tartari stibiati. Quae tamen cave ne infrices processui mastoideo, quippe quum ad cellulas processus mastoidei atque ad interiorem partem auris facile congestiones provocent.[24]) Sed sine periculo infra illum processum vel cervice unguentum, setaceum, alia applicabis.

Remedia interna per intervalla adhibe laxantia: sales medios vel Calomel.

Prae ceteris monendum, ne sordes in aure accumulentur. Itaque quum pure accumulato perpetua fiat irritatio et medicamenta irrita reddantur, auris quoties aptum videtur quotidie aqua infusa purgetur necesse est.

Tum Kramer seu sit membrana tympani perforata, seu non perforata, quotidie bis terve solutionem Plumbi acetici (gr. j-x: ℥j) frigidam aut tepidam instillandam suadet verbis his:

„Man darf bei diesem Mittel keineswegs an rasche übereilte Unterdrückung, nicht an Uebertragung des Entzündungszustandes auf das Gehirn

---

24) Saissy, Essai sur les maladies de l'oreille interne. Paris, 1827. pag. 55 etc.

denken; wir haben sogar bei dem Gebrauche des-selben alte eingewurzelte Kopfschmerzen in demsel-bem Masse weichen gesehen, als das essigsaure Blei die gesteigerte Gefässthätigkeit im Trommel-fell und seiner Nachbarschaft zurückdrängte.“

Adhibitae etiam sunt solutiones Hydrargyri mu-riat. corrosiv., Zinc. sulf., Cupri. aluminati, Argent nitrici, nec non Acid. pyrolignos. (℈j: ℥j Aq., Quas omnes, quum fortiores aegrotum vehementis-simis doloribus magnaque irritatione affecerint, se plus minus dilutae omnino nihil valuerint, Krame sprevit.

Ratione quam supra descripsi, habita membrana tympani sensim fit albida, profluvium susurrusque aurium, si omnino aderat, minuitur, auditus magis magisque roboratur.

Excrescentiae fungosae Laudano, secundum Lincke, diligenter illito extinguuntur; quod si inu-tile esse probatur, aut si morbus altius progressus est, locus, cui illae insunt, Cupr. sulfur., Argent nitric., Butyr. Antimon., Acid. nitric. contingatur. Qua in re Plumbum aceticum Kramer ultimum esse refugium contendit.

Idem si excrescentiae sunt albidae, durae car-tilagineae, latae basi insidentes quam vis tractandi rationem inutilem, medicamina vero caustica perni-ciosa habet. Polypi stylo insidentes ubi adsunt nonnisi cultello extinguendi sunt, ancipite, cujus cuspis praefricta atque hebetata est. Quo facto lo-cus, cui inhaesit, lapide infernali aut plumbo acetico

caute contingatur. Kramer adeo observasse sese affirmat, polypos sola solutione plumbi acetici corrugatos esse neque iternum exstitisse.

Quum membrana tympani est obdurata, cartilaginea nec specillo tacta dolorem movet et est audiendi facultas valde debilis, nihil restat, nisi illius perforatio. Haec vero sectio nonnisi in summo discrimine, ubi utraque auris magna audiendi gravitate affectae sunt nec cetera remedia felicem praebuerunt eventum, adhibenda est. Ad hoc auris cultro secanda ab alio morbo libera esse debet[25]).

Si jam perforationes membranae tympani inveniuntur, inflammatio tantum, quae forte adest, medico exstinguenda est, ne destructio longius procedat. Aegroti erit, aurem servare contra iniquas tempestates aut bysso illi ingesto aut panno capiti circum ligato.

O b s e r v a t i o.

Ludovicus Franz, aurifex, septemdecim annos natus, firma corporis constitutione a parentibus sanis, qui quidem adhuc superstites sunt, genitus est. Semper bona gavisus est valetudine exceptis duobus, qui eum invaserunt, morbis: morbillis, qui tamen regulares exierunt, et febri intermittente. Anno hujus saec. XL, ut propinquos inviseret, Sun-

---

25) de hac re amplius vid. Martell Franck, p. 311 seq. et Kramer: die Erkenntniss und Heilung der Ohrenkrankheiten. Seite 202. sqq.

diam se contulit, ubi juxta ambulantem tormenta exploderunt. Fragor tam vehemens erat, ut illum audiendi facultas aure sinistra actutum deficeret. Dolor ingens acutusque eum corripuit et per quattuor hebdomades paucis remissionibus duravit; tum dolor remisit atque mox prorsus decessit. Sed memoratu dignum est, quod dolor quotannis revertebatur, quum aegrotus adesset in exercitio eorum, qui pyrobolis discum ligneum attingere certant. Ceterum meatum auditorium externum persiccum fuisse interdum aliquid liquoris emanasse dixit aegrotus.

Die XXVIII mensis Octobr. anni praeteriti adolescens clinicum nostrum chirurgicum, quod adhuc floret Directore Ill. Baum, adiit. Auris dextra sana fuit; animadversus est auris sinistrae meatus auditorius sordidus secretionis crustis; itaque illa auris injectionibus aquae tepidae purgata est; tum speculo adhibito meatus auditorius externus sanus visus est, sed in membrana tympani haec observavimus: erat membrana subrubra et habebat in parte anteriore et inferiore excrescentiam pallidum magnitudine lentis; ceterum manubrii mallei insertionis punctum distincte in conspectum veniebat; perforatio membranae et ceruminis secretio non aderat; horologii portatilis sonum accipiebat auris ex distantia semidigitali. Quae omnia dederunt diagnosin Myringitidis chronicae.

Ill. Baum imperavit injectionem solut. argent. nitrici (grj: ℥j) mihique aegrotum curandum tradidit. Membranae tympani excrescentiam hac solutione

quotidie tingebam penicillo adhibito atque saepissime aurem aquae tepidae injectionibus purgabam. Sed jam nonnullis diebus praeteritis horologii ictum ex distantia duorum digitorum ab aegroto audiri laetus animadverti. Diligenter curationem exsequutus sum solutione illa atque aquae tepidae injectione adhibenda; excrescentia membranae magis magisque minuta, audiendi facultas major facta est. Hodie XII mens. Martis excrescentia usque ad magnitudinem acus capituli imminuta est atque auris accipit horologii sonum ex distantia pedum sex. Ceterum et aegrotus, cujus curationem per quattuor et dimidium menses exsequutus sum, et ego, medicus, prospero successu laetati sumus.

V I T A.

Natus sum Carolus Guilelmus Theodorus Hasse, confessioni evangelicae addictus, Cussalini, Pomeraniae oppido, die XIX mensis Martii anno h. s. XXIV. Patrem Carolum Fridericum mors mihi abstulit anno praeterito, matrem autem Theodoram e gente Bärtsch adhuc superstitem pio veneror animo.

Primis literarum elementis imbutus et apud parentes et apud amicum paternum de Dewitz, tempore Paschali h. s. XXXVI. Partenopolitanum petii gymnasium Divae Virg., cui tum praeerat Rector Solbrig. Paschali tempore h. s. XXXXV a Muellero t. t. scholae Rectore, maturitatis testimonio instructus in almam Gryphiam me contuli, ubi ab Rectore Magnifico Ill. Beseler civium academicorum et ab Ill. Baum t. t. Decano medicorum numero adscriptus per quadriennium scholis interfui hisce:

Ill. Stiedenroth: de Logice et de Psychologia.

Ill. Tillberg: de Physice.

Ill. Hornschuch: de Historia naturali universali, de Zoologia, de Botanice.

Beat. Schauer: de Anatomia et de Physiologia plantarum.

Ill. Hünefeld: de Chemia physicali, organica, anorganica, analytica et de Mineralogia.

Cel. Schulze: de Chemia experimeatali.

Cel. Laurer: de Anatomia organorum sensuum, de Neurologia, de Angiologia, de Splanchnologia, de Arte fasciae rite alligandi.

Ill. Schultze: de Osteologia et Syndesmologia, de Anatomia corporis humani, de Anatomia generali et comparata, de Anatomia pathologica, de Physiologia. Idem dux mihi fuit in Arte cadavera rite dissecandi.

Ill. Litzmann: de Encyclopaedia et Methodologia medica, de Pathologia generali et de Semiotice, de Therapia generali, de morbis pectoris arteque signa physicalia indagandi, de Materia medica et de Arte formulas medicas rite concinnandi.

Exp. Glubrecht: de Medicina forensi et de Politia medicinali.

Exp. Eichstedt: de Morbis cutaneis et de Auscultatione et Percussione.

Ill. Baum: de Chirurgia de Fracturis et Luxationibus, de Akiurgia, de Morbis oculorum et aurium.

Idem dux mihi exstitit in operationibus in cadaveribus institutis.

Ill. Berndt: de Pathologia et Therapia speciali, de Arte obstetricia, de Morbis neonatorum.

In Clinico medico et obstetricio dux mihi fuit Ill. Berndt, in Clinico vero chirurgico et ophthalmiatrico Ill. Baum.

Quibus omnibus viris Illustrissimis quorum sanctissima usque ad cineres mihi erit memoria, gratias ago, quam possum maximas. Jam vero tentamine philosophico et medico nec non examine rigoroso rite superatis, spero fore ut dissertatione thesibusque publice defensis summi in Medicinae, Chirurgiae et artis obstetriciae in me conferantur honores.

THESES.

I.

In cranii fracturis trepanationem prophylacticam instituendam esse non puto.

II.

Hydrothoracis diagnosis non adhibito stethoscopio prorsus fallax est.

III.

In corpore sano nunquam morbus psychicus.

IV.

Omnium signorum graviditatis pulsatio cordis foetalis gravissimum est.

V.

Strepitus ille „bruit de diable" non in arteriis, sed in venis oritur.